

Man. Th. 4. 16. fol. 10.

7

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
TRANSPIRATIONE
CUTANEA,
AEQVILIBRII CALORIS HVMANI
CONSERVATIONI INSERVIENTE,
VERO ET VNO HVIVS
FVNCTIONIS FINE.

Q V A M
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA FRIDERICIANA,
P R O
S V M M I S I N M E D I C I N A
ATQVE
CHIRVRGIA HONORIBVS
IM PETR ANDIS
DIE IX FEBRVAR. MDCCXCIII
ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIET
CHRIST. HENR. GVILIELMVS ROTH,
POMMERANVS.

HALAE,
TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELI.

(1793)

... ADICIONES OF
... ПОДАЧИ СПЕЦИАЛЬНЫЕ
... АНИАГРУС
... АЛЮМИНИИ ГЕЛОВЫЕ
... НИЗКИЕ СТАРИЧАКИ
... ИЗГОТОВЛЕНИЯ



V I R O
ILLVSTRISSIMO ATQVE GENEROSISSIMO
D E R Ü C H E L,

POTENTISSIMI REGIS BORVSSORVM
TRIBVNI LEGATO COPIARVM PEDESTRIVM,
ADIVTORI RERV MILITARIVM,
EQVITI ORDINIS HASSO-CASELL. VIRTUTIS
MILITARIS,
DYNASTAE IN HASELEY,
POMERANIAE POSTERIORIS;

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO
SVMMA, QVA PAR EST, REVERENTIA
HAS IVVENILES PRIMITIAS,

D. D. D.

A V C T O R.

YALO
DE RUGHEI

LICENTIA IN HOC MODO
TERRITORIIS DUCIBVS
ADULTORIBVS VITIA
EDIBVS ORDIBVS HABEBVS ET ALIAS
MISERICORDIA
IN HABENDA PASTORALI
TOMVS. I. POST. LXXXII.

Dominio suo gratissimis

anno. Q. ex. 3. t. 1. 1611.

Hab. IACOBVS PETRIUS.

ACVTA

etiam ab aliis quod de cibis gallofrigi citato
est, et quod in libro de medicina animalium
de aliis quod de cibis gallofrigi citato
est, et quod in libro de medicina animalium
de aliis quod de cibis gallofrigi citato

L. S.

Cum mihi more majorum differ-
tatio esset conscribenda; materiam, quam
coram videtis, ex consiliis Clariss. Prof.
Reil, praceptoris usque ad cineres co-
lendi, aggressus sum. Cogitationes quas-
dam trado de functione cutis, in prae-

cep-

ceptis physiologicis et therapeuticis sae-
pius nobiscum communicatas, quae for-
san diligentius exulta in futuri tempo-
ris commodum cedent. Mancam thema-
tis elaborationem et temporis brevitas et
virium tenuitas excusat.

DE

DE
FVNCTIONIBVS CVTIS.

§. 1.

CVTIS FABRICA.

Tractanti mihi functiones cutis, primo quaedam de fabrica illius dicenda erunt. Siquidem cutis ex triplici membra composita est, scilicet ex *corio* seu cute strictiori sensu; ex *rete mucoso* seu Malpighiano et denique ex *epidermide* sive curicula constat. Corium *inferiorem*, reticulum Malpighianum *medium* et epidermis *superiorem* illius partem constituit.

§. 2.

CVTICVLA.

Epidermis, extimum corporis involucrum, cum corio innumeris fibrillis, vasis et pilis transcurrentibus cohaeret. Ex-

A ter-

terna illius superficies cornea quasi et siccata putredini aërisque iniuriis resistit. Simplicissimae est texturae, diaphana, insensibilis, parum organica, vasis et nervis destituta, externe rugosa et opposita pagina fere reticulata multisque poris majoribus minoribusque perforata deprehenditur. Fabrica illius dubia, quamvis eam a rete Malpighiano, aëre et attritu coacto et exsiccato nasci, proxime a veritate abesse videatur. Haud ubique eadem crassitie gaudet, pressu et attritu augenda, quod clavorum origines docent. Dignitate haud vulgari gaudeat, cum eam omnibus rebus organicis additam deprehendamus. Inprimis subiectis partibus in aëris iniurias tutam praebet et praeterea in homine, nervis tactui dicatis et corporibus tangendis intermedia, tactum moderat, dirigit et ad partem efficit. Nervi enim cutanei, cuticula nudati, haud amplius characteres speciales rerum contiguarum distinguere valent. Huc et ungues pertinent, ad epidermidis naturam proxime accedentes.

§. 3.

§. 3.

RETE MUCOSVM.

Rete Malpighianum, membrana mucosa, corio et epidermidi intermedia, vel potius interior pulposa epidermidis pagina. Vix in Europaeis, facilius in Aethiopibus eorumque scroto eam, forma genuinae membranae, separare licet. Cuti incumbit eiusque papillas molli alveolo suscipit. Inorganica est, vasis et nervis orbata, et ex coacto, de cute exhalato, humore, conflata videtur. Opaci hominum coloratorum coloris rationem continet.

§. 4.

CORIUM.

Corium membrana est sui generis, firma, tenax, elastica, extensionis capax, ex tela cellulosa stipata fabrefacta. Exterior illius pagina densa, interior paullatim laxiori tela soluta, pinguedine referata, illud cum subiacentibus partibus necrit. Praeterea undique cutis innumerus nervis et vasis arteriosis, venosis, lymphaticis pertexta est. Papillae sunt illi, fere tantum in apicibus digitorum con-

A 2

spi.

spicuae, ex vasis et nervulis conflatae,
tactui dicatae. Pili fere toti corio, si pal-
pebras, penem et volas pedum manuum-
que excipis, insunt; variae indolis et di-
rectionis, lanuginosi et duri, longi et bre-
ves, crisi, coloris varii. Item directio
illorum variat v. g. in ciliis, superciliis;
spirales sunt in vertice, sursum eretti in
pube brachiorumque aversa facie. Na-
scuntur in tela cellulosa ex peculiari bul-
bo, qui dupli constat involucro, exte-
riore vacuolo et ovali; interiori cylin-
drico, cui pilus proxime inhaeret. De-
nique cuti ubique magna est glandularum
simplicium folliculorumque sebaceorum
copia, molli, semiliquido smegmate se-
creto illam perungentium, qui plurimis
locis sub cute sedentes eam ductu suo ex-
cretorio perforant. Praeterea aliae glan-
dulae sebaceae simplices et compositae re-
periuntur, ubicunque frictio maior vel
aëris accessus liberior est, in facie, alis,
mammis, inguine, glande penis, nym-
phis, ano, poplite. Ex his quaedam
smegma peculiaris, saepe hircini odoris
fecernunt.

CVTIS VSVS VARIVS.

Fini iam proprius accedens ad cutis usum et functionem progredior.

Involucrum est totius microcosmi extimum, omnes subiacentes partes amplectens easque amico quasi vinculo iunctas suo situ et forma coërcet. Velut plantarum cortex musculos, vasā, nervos omniaque subdita ab iniuriis foras minantibus defendit. Gratam hominum superficiem conciliando pulchritudini infervit. Denique cutis et in primis digitorum apices, acutiori ob nervorum copiam cuticulamque tenuiorem sensu praediti, tactui præfunt, quo corporum diversas qualitates et in primis figuram, asperitatem, duritiem et calorem cognoscimus. Hac via cortici corporis, qui solus proprio sensu manifesto gaudet, facultas conciliatur agendi in res externas, rebusque externis reagendi in corpus humanum. Tactu praeditus hominum ambitus, ab omni attingente illum re certior factus, omnia circumspicit, tam commoda, quam

quam damna foras illata, custodisque
corporis nostri munere fungitur.

Haec vero, procul a meo scopo
aberrantia, transeo.

§. 6.

INHALATIO.

Inhalationi praeterea vacat cutis, gra-
vioris momenti functioni, cum multas
plantas fere sola inhalatio nutriat, quam-
vis adhuc obscura tam ratione indolis,
quam quantitatis materiae, quae resorbe-
tur. Hanc functionem cutis, ope vaso-
rum lymphaticorum, ex ambitu corporis
nascentium, perficere videtur. Materia
vero, quae resorbetur, praeter aquam,
eiusque copia, vix cognita est. Interea
haud exigua esse videtur quantitas, im-
primis sub conditionibus exhalationem
reprimentibus, aëre humido, frigido,
a corporis quiete animique tristitia. In-
halationem esse varia suadent phæno-
mena, tam in secunda quam adversa valetu-
dine apparentia. A balneo corporis pon-
dus auctum, sitim sedatam urinamque co-
piosiorem observamus. Homines, laxa-
com-

compage vitaque otiosa praediti, in primis feminae parum bibunt, quamvis sero abundant et quotidie secundum naturam ab illo satis copiose purgentur. His, mala valetudine affectis, medicorum consilia, de potu augendo quidem frequentia, verum tamen inconcinna sunt. Mercurius cuti admotus salivationem movet et luem sanat; plumbum dolores colicos excitat; therebinthina urinae odorem violae imprimit; indusia cortice farcta febribus intermittentibus medentur. Mercator Italus hydrope quavis vice, Belgium proficisciens, molestabatur. Exempla haud rara sunt, hominum duplo, quintuplo, decemduplo plus urinae reddentium ac bibentrum.* Miasmatum damna et vesicatoriorum efficaciam in renes, potius attractui nervorum tribuendam, mitto, cum supra data argumenta iam satis resorptionem demonstrent.

§. 7.

**EXHALATIO, PERSPIRATIO
SANCTORINIANA.**

Eodem modo, ut resorbet cutis, etiam *exhalat* quid. Haec exhalatio, quae in

* V. HALLERI Elem. Physiolog. T. V. p. 89.

in statu sano sit, *transpiratio, transpirare*
et id quod transpiratur. *Perspirabile San-*
ctorianum vel insensibile nuncupatur, dum
vaporis forma oculis subtrahitur.

Sed primo mihi determinandum esse
videtur, quid medici de hac cutis functi-
one sentiant, *cui bono haec exhalatio ad-*
sit? qualis indolis haec excretio cutanea
sit? et qua natura demum Perspirabile
Sanctorianum gaudeat? Vbiique per-
vulgata est inter medicos sententia, ut
cuis tanquam renes ad organa excretoria
pertineat, materiem nocuam, corruptam,
venenatam ex corpore eliminet, et huic
functioni finem esse, ut corpus a materie
purgetur, cum cuius praesentia valetudo bo-
na consistere nequeat. Hoc medicorum iu-
dicium ita commune est ut fere nulla
probatione indigeat. Verum tamen quas-
dam auctoritates allegabo.
 „*Cutis, in-*
 „*quit BLVMENBACH,* ad excretoria*
 „*corporis organa pertinet; quorum ope alie-*
 „*na quaevis et quae retenta nocitura forent,*
 „*ex principe humorum massa eliminantur.*“

HAL

*) Institut. physiolog. Göttingae 1786, p. 148.

HALLER^{*)} dicit: „Sed volatile quid alterum calinae naturae admisceri demonstrant et nostrum sanguinis natura, et noxae insignes a retenta perspiratione, in morbis acutis evidentes, quoties ea introrsum conversa pallidas urinas facit, et aeris demum corruptio a respiratione.“ Idem HALLER in Elem Physiol,^{**) utilitatem transpirationis enumerans, affirmat.}

Exhalationem revera esse universae corporis superficie, nullo amplius dubio premitur. Hoc confirmant odores, quos canes sequuntur, speculum politum cuti oppositum, vapore obfuscatum, densa nebula, quam in subterraneis cuniculis ab hominum ambitu assurgere videmus et denique firmissime experimenta Sanctorii, statera instituta.

Instrumenta, quibus exhalatio perficitur, arteriolae cutaneae esse videntur, tum in papillas productae, tum in cutes sedentes, quorum ostiis pori, in epidermide

^{*)} Primae lineae physiol. Götting. 1765. p. 198.

^{**) Tom. V. p. 80.}

mide obvii, respondent. Hunc esse transpirationis fontem, analogia vult, quae exhalationes omnis generis arteriarum ope fieri docet, nec non facilis matteriarum exsudatio in superficie cutis, quae in truncos arteriarum, ad cutem tendentium, iniiciuntur.

Materia, quae exhalatur, non unius generis esse, perhibent auctores. *Aquam* avolare, sudor, aucta transpirationis species, docet, speculorum obfuscatio a transpiratione, diuresisque et diarrhoea a transpiratione repercussa, subortae. Porro **HALLER**^{*)} et alii contendunt, *materiam electricam* evaporare, *partesque volatiles foetidas, semiputridas* nec non *cibi potusque particulas*, ex odore cutaneo, post allii, ceparum, assae foetidae assumptionem cognoscendas.

Quantitas materiae, quae exhalatur, vix ad certum calculum revocari potest, ex rationibus infra fusiis demonstrandis. Experimenta statica Sanctorii aliorumque physiologorum nil certi de eius quantitate de.

^{*)} Elein. Phys. Tom. V. p. 52 — 57.

determinant. Plerumque vero assumitur, adultum hominem, qui intra *viginti quatuor* horas cibi potusque *sex libras* assumit, de his assumptis *urinae uncias triginta tres*, *faecum unc: quatuor* amittere, *reliquas tres libras* via transpirationis secessisse. Verum hicce calculus maxime vagus est; immo ad libram saltim per pulmones exspirat, nec non sputorum ope etc. quid perditur.

§. 8.

ARGUMENTORVM PRO NOXIA MATERIAE TRANSPIRABILIS NATVRA EXHIBITORVM DIGNITAS.

Nunc nostrum est argumentorum dignitatem paulo accuratius investigare, ex quibus probare student, ut *revera materies nocua* ex cute exhaletur, ut *scopus primarius* huius exhalationis ille sit, ut *haec materia eliminetur*. Argumenta, quibus hoc probari credunt, praecipua haec sunt:

i. *Mali moris est, quod excernitur Perspirabile Sanctorinianum, dum nonnumquam male oleat, false sapiat, linteamenta tingat et fôrdes in cute relinquat.*

Ex

Ex his materiae perspiratae qualitatibus venenatam illius naturam derivant. Verum sudoris sapor salsus nil probat, qui ad statum praeternaturale pertineat. Indusia non ubique tingit perspirabile, immo bilis et sanguis idem praestant. Sordes cutaneae foras accedunt a quisquiliis, quae hominibus folidae virae deditis, cum perspirabili miscentur. Odor ingratus non perpetuo adeat, nec in omnibus individuis, immo primario a sebo, ex cryptis muciparis secreto, oriri videatur. Denique chymus, chylus, bilis, cerumen aurium, mucus vaginae, urethrae, sebum coronae glandis et alia fluida ingratum odorem spirant, male sapiunt et colore vario gaudent, quamvis sanis corporis partibus adnumerentur.

2. *Transpiratione suppressa, diarrhoeam natura movet vel urinae excretionem auget, ut nocuum vicaria via exterminetur.*

Ab exhalationis cutaneae suppressione aliam excretionem intendi experientia testatur, sed minime argumenta
inde pro venenata materiae transpirabilis
na-

natura sequuntur. Diarrhoeae a refrigerio plurimum a frigoris stimulo in cutem, cum intestinis consentientem, provenire videntur. Vrinae incrementum a transpiratione suppressa, solummodo aquae maiorem, sed minime plurium particularum venenatarum secessum monstrat. Hoc ex pallidiore urinae colore evincitur. Aquam vero evaporari e cute, minime negabo, sed eliminationem aquae non esse finem evaporationis, verum tantum instrumentum ad alium quendam finem consequendum contendo.

3. *A transpiratione suppressa variis morbi generantur. Oportet itaque nocui cuiusdam, quod hos morbos efficit, evacuacionem supprimi.*

Possunt quidem eo tempore, quo transpiratio supprimitur, morbos evenire, sed num itaque a transpiratione suppressa eveniunt? Eadem causa, v. g. frigus cuti illatum, simul transpirationem imminuere et inimico stimulo nervos laedere potest. Immo functio corporis laesa morbus est et morborum causa. Cuti vero functionem

nem esse, in qua et ad quam exhalatio
cutanea pertineat, nullus negabo.

§. 9.

CATARRHVS.

Ultimum argumentum, transpiratio-
nem suppressam scilicet esse originem
variorum morborum, adhuc accuratius
illustrabo. Ex multis his morbis, trans-
pirationi suppressae adscriptis, imprimis
catarrhum, tamquam principem, nomi-
nabo.

Catarrhi genesis hoc fere modo ex-
plicant; constringuntur vasa cutanea (fri-
gore) retentumque noxiū et acre per-
spirabile, in sanguine oberrans circuitum
accelerat, ad glandulas et cryptas muco-
fas narium, faucium et pulmonum, de-
positum eas irritat, inflamat, ad copio-
fiorem muci secretionem impellit, quo
muco tunc retentum perspirabile obvolu-
um eliminatur.

Verum quidem est, ut in frigore
transpiratio minuatur, sed in calore sta-
tim restituitur; catarrhus vero perdurat.

Dia.

Diaphoresis excitata catarrhum numquam certo et tute sanat, immo saepe catarrho affectos haud raro non tantum transpirare, sed etiam sudare videntur absque omni symptomatum levamine. Itaque et KEIL,^{*)} qui bis a catarrho eo tempore, quo sua experimenta instituebat, corripiebatur absque omni transpirationis imminutione, affirmat *adiapneustiam non esse caussam tussis*. Perspirabile magna, ut supra videntur, quantitate exhalatur, eiusque metastasis potius oedema partium affectarum, quam catarrhum, cui cum magna retentae materiae aquosae copia nil simile est, induceret. Denique absque omni frigore admisso, absque omni transpirationis suppressione symptomata catarrhalia, eaque perfectissima oriri possunt e.g. in morbillis, quibus ob febrem plus iusto perspiratur.

Itaque potius catarrhus directe *a frigore*, quod simul transpirationem imminuit, derivandus est. Certus quidam frigoris gradus stimuli instar imprimis in

^{*)} Aphor. static. p. 17.

hominibus sensibilioribus agit. Hoc oculi
 lacrymantes, nares humidae cutisque ru-
 bor et livor a frigoris stimulo testantur.
 Simul huius stimuli ope frigus partium
 singularum vel omnium irritabilitatem
 adauget. Hac de ratione partes, a fri-
 gore tactae, acuto sensu gaudent, homi-
 nes catarrho affecti ad frigus maxime sen-
 sibles sunt, magnaue ad febres et in-
 flammationes proclivitate laborant. Hac
 via frigus glandulosis narum, faucium et
 pulmonum superficiebus exaltatam impri-
 mit irritabilitatem. His in glandulis irri-
 tabilitas augetur vel immediate a frigore
 illas attingente, vel mediate per cutem,
 cui singularis quidam cum ipsis consen-
 sus esse videtur. Quo facto minimi, im-
 mo naturales stimuli sanam harum parti-
 um functionem laedunt, inflammant ac
 secretiones mucosae vel supprimuntur,
 vel augentur vel a naturali sua condi-
 tione mirum in modum aberrant. Ca-
 tarrhus nascitur. Muci abundans secre-
 tio, quae plurimum in illo observatur,
 naturae instrumentum salutare esse vide-
 tur, quo auctam partium irritabilitatem
 mi-

minuit. Sunt homines, quibus summa est cutis sensibilitas, vel nativa, vel acquisita a calore fornacum, vestimentorum. His facilius a frigore irritabilitas augetur. Alii nunquam a catarrho afficiuntur, quamvis et illis ut transpiratio saepe a rebus externis supprimatur necesse est. Alii in aetate provectiori omnem ad catarrhum dispositionem amittunt, cute scilicet robustiori et insensiliori facta.

Idem testatur medela. Catarrhus est morbus inflammatorius vel inflammatorio proximus, quod experientia et causae natura scilicet irritabilitas aucta demonstrat. Qua ex ratione saepe opus est, ut diathesi inflammatoriae medeatur. Huic fini respondent potulenta multa, tepida et emollientia, vapores, pediluvia, semicupia etc., quae cuncta tonum fibrarum nimis tensum relaxando diathesin inflammatoriam corrigunt. Porro in catarrho diaphoretica laudantur. Sed dubito, quin, praeter *camphoram* et *opium*, quid immediate in catarrhi causam proximam valeant. Opium vero et camphora, me-

B

iu-

judice, non promovendo diaphoresin, sed sedando praeternaturalem irritabilitatem hoc in morbo agunt. Denique varia remedia expectorantia e. g. Spirit. Minder., Sal ammoniac., Sulphur antim. aurat., Tartar. emet., commendantur. Haec remedia excretiones catarrhales augent et quidem in commodum aegroti. Potest quidem, ut plerumque exhibetur, copiosus qui secernitur mucus catarrhalis perspirabile retentum non evacuare, verum natura illo utitur tanquam instrumento, quo iustum irritabilitatis aequilibrium restituit. Qua ex causa medici est, ut hunc naturae finem faciliter. Haec itaque, quae hucusque de catarro protuli, id demonstrare videntur, ut morbi a transpiratione suppressa derivati nil probent pro venenata excretionis cutaneae natura.

§. 10.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Refutatis nunc adversariorum argumentis, pro venenata exhalationis cutaneae natura exhibitis, alias rationes proferam, quae sententiae illi, ut transpi-

piratio cutanea corpus a noxia materia liberet, contradicere mihi videntur.

Si cutis transpiratio evacuationi partium nocivarum dicata esset, ea certe cum quantitate partium nocentium in proportione esse deberet. Sed experientia contrarium affirmat. Cachectici, scorbutici hominesque acribus humoribus referti saepe parum; fani contra blando sanguine praediti multum transpirant. Senes aegrius; pueri, quibus sane blandior est sanguis, plus transpirant. Numquam, si quis forsan multa acria ingesserit, inde immediate transpiratio augetur. Canes, qui moventur, nec qui acri humore turgent ex lingua et pulmonibus exspirant. In hyeme minuitur, in aestate augetur transpiratio; huic homini multa, illi parva est; nonnumquam absque damno per longum tempus reprimitur; saepe male valemus si multum, bene si parum transpiramus; denique in morbis saepe magna est, quamvis ab illa morbi vis minime frangatur.

His adhuc addam, quae nuper Cl.
PLATTNER*) egregie de cute disputa-
vit, illam scilicet non esse, ut renes et in-
testina crassa, *organon genuine excretorium*.
Omnia, inquir, vera et genuina organa
excretoria dupli specie vasorum et ca-
naliuum gaudere oportent, scilicet canali-
bus advehentibus et revehentibus, quo-
rum ope tantum fieri potest, ut materia
communis, in caveam organi adducta, a
vasis resorbentibus decomponatur. Hac
via demum scilicet advehendo et deve-
hendo specificus liquor secerni et excerni
potest. Haec est conditio renibus et he-
pati; adsunt arteriae renales, tubuli
Belliniani, vasa lymphatica et urethe-
res; arteria hepatica, vena portarum,
vasa lymphatica, ductus hepatici, cystici.
Haec vero constructio in cute omnino
desideratur. Vasa exspirantia simplices
sunt arteriolae cutaneae absque singula-
ritate et structura. Cutis itaque duntaxat
vaporem aquosum secernit eiusdem indol-
lis, ut ab omnibus corporis membranis,

per-

*) Vid. DE HAENS *Heilmethode Uebersetzt von*
Plattner. 1782. Tom. IV. pag. 413.

pericardio, pleura, peritonaeo et in omnibus cellulis telae secernitur. Quis vero has superficies membranosas, e. g. pericardium, organon excretorium appellabit? Simplices sunt secretiones, quibus et cutis exhalatio adnumeranda est. Quia ex causa etiam perspirabili Sanctoriniano variabilis est natura, nec specifica nec constanti indole gaudet, ceteris liquidis vere secretis familiari.

§. II.

EVACVATIO PHLOGISTI.

Observamus ut continuo ab homine *phlogiston* exeat. Mala symptomata surgunt, si corpori ea est conditio, qua phlogisti evacuatio fieri nequit. Hac ex re colligunt medici, phlogiston esse *quid nocuum*, eiusque remotionem esse finem huius evacuationis. Verum hoc assertum non certo ex dato facto probari potest. Omnibus corporis partibus, fluidis et solidis, varia proportione phlogiston inest, sed ligatum aliisque materiis chemice mixtum, nec absque damno sanitatis et destructione partis detrahi potest.

test. Praeterea creditur, sanguini inesse phlogiston quasi solutum, illique tam laxe adhaerens, ut facile ab alio menstruo suscipiatur. Hoc phlogiston triplici existere in sanguine via, scilicet *ex* sanguine ipso solvit, illi ab omnibus reliquis corporis partibus partibus traditur et *de-*
nique cum chylo in sanguinem advehitur.

Hoc liberum, sanguini laxe adhaerens phlogiston dupli evacuari via creditur:

1. *Ope pulmonum*; sanguis phlogisto dives, continuo in pulmone adducitur, phlogiston vasorum poros penetrans aërem atmosphaericum attingit, qui menstrua vi phlogiston solvit, suscipit, educit. Itaque pulmone aërem phlogisticant et quidem imprimis post prandium et coenam. Quae evacuatio, ut perfectius succedat, aëris requiritur *satis purus, organonque integrum.*

2. *Cute eiusque transpiratione insensibili.* Creditur siquidem, transpirationem insensibilem fieri forma fluidi aëriiformis, permanenter elastici, illi ex pulmo-

monibus exspirato simillimi, quod phlogisto gravidum calcem ex aqua praecipitat et flammae alendae et respirationi sustentandae ineptum est.*⁾ Imprimis transpirationem phlogisticare aërem observarunt eo tempore, quo ventriculus digerit, scilicet post prandium et coenam.

Permittatur mihi hic loci coniectura, liceat his viis, quarum ope phlogiston evacuari ferunt, aliam addere. Nonne forsitan *hepar* et *se-* et *excretio bilis* praeter alia commoda et illi scopo indulget, ut scilicet corpus a phlogisto liberent. Bili copiosum inesse phlogiston et cum transpirabili curaneo et pulmonali multam materiam biliariam secedere, res est evicta. Inde in phthisi bilis vitia, inde a transpiratio-

*⁾ Vid. INGENHOVSZ experim. sur les végétaux, pag. 126 — 135. — Landriani essai d'expériences etc. 2 Versl. p. 48. — MOSCATI Versuche über das Blut. Stuttgart 1780. pag. 52. — SCHERRER Geschichte der Luftgüte. Prüfungslehre. Wien 1785. 2 Vol. pag. 140. — BLUMENBACH Institut. physiol. p. 150. DE MILLY, LAVOISIER in Memor. de l' ac. des sc. de Paris, a. 1777. pag. 221. 360.

tione suppressa morbi biliosi, inde aër purus et diaphoretica morbos biliosos sanant. Hac via phlogisti evacuatio fieri posset absque aëre puro, quod reliquae viae, *cutis scilicet et pulmo*, praestare non possunt. Forsan itaque functio vicaria est his organis, ut aëre impuro hepar potius phlogisti evacuationem efficiat? Num hac ex causa facilis biliosorum morborum orrus in aëre paludofo et mephitico derivandus est?

Hoc sanguini laxe adhaerens phlogiston partem maxime nocivam, eius evacuationem necessariam esse ad sanitatis conservationem et huic scopo cutem et pulmones infervire multi physiologi recentiores, sequentibus rationibus innixi contendunt. Si retinetur phlogiston, aiunt e. g. in aëre impuro, locis, quibus multi homines degunt, multa lumina ardent; oriri in toto corpore et imprimis in organis respirationis ingratam sensationem et anxietatem. Aegros mox relevare, ex aëre phlogisticato in salubriorem portatos. Multos morbos imprimis febres

bres biliosas, putridas, malignas, in aëre mephitico, ergo a phlogisto in illo retento oriri. Animalia, campanis inclusa, anxietates horrendas, convulsiones experiri et deinde mori. *)

Sed parva est, quæ evacuantur phlogisti quantitas, blanda est materia, immo forsitan facilius alia via e.g. depositione in telam cellulosa adiposam, e sanguine eliminari posset. Morbos quidem aëris impurus gignit, sed num necessario ea ex ratione, quod phlogiston retineat? Etiam in aëre fixo animalia pereunt. Denique concedam omnium harum experimentarum veritatem, num inde colligi potest, ut phlogiston nocivum quid, eiusque diminutio ad sanitatis conservationem maxime necessaria sit? Nonpe forsitan fieri potest, ut phlogisti evacuatione non scopus evacuationis sed tantummodo via ad aliud finem consequendum sit? Exemplo sit aëris fixi excretio, quae phlogisti præviam separationem requirit**) vel

*) SCHERER l.c. 2 Vol. pag. 145. MOSCA
T. I. c. pag. 55. 56.

**) GRENS *Journal der Physick*, 6B. 1H. S. 114.

vel theoria Crawfordiana, (quamvis eam ideo non amplectar) quae phlogisti evacuationem desiderat ea ex ratione, ut calor generetur.

§. 12.

TRANSPIRATIO CUTANEA CONSERVATIONI TEMPERIEI NATURALIS HOMINVM INSERVIT.

Dum nunc varia circa finem, qui plerumque statuitur, et circa usum transpirationis cutaneae dubia graviora leviora moverim; quaestio, quis tunc demum sit verus exhalationis cutaneae scopus? adhuc mihi solvenda erit. Me iudice ambitus corporis (nec non ingens pulmonum*) superficies, superficie corporis lon-

*) Conf. Clar. praeceptorem GREN (Journal d. Physik. B. VI. H. I. pag. 114. Anm. et pag. 115. Anm.) Weit entfernt, daß die Lungen der Heerd der thierischen Wärme seyn sollten, sind sie vielmehr das hauptsächlichste Werkzeug zur Ausscheidung der freyen Wärme aus dem Blute und folglich aus dem Körper. Praeterea basis aëris fixi in sanguine, ob frequenter mutationem mixtionis illius, continuo accumulatur. Haec, cum phlogisto

longe maior, de qua ratione exhalationis omne id valet, quod supra dixi et infra dicturus sum) eo ex fine transpirat, ut hac via ad partem legitimus caloris animalis gradus seu temperies hominum naturalis conservetur.

Homo pollet *insita vi generandi calorem*. Nam fere quovis vitae momento calorem gignit, ad caloris iacturam, quam continuo a mediis, ipso plerumque frigidioribus, patitur, restituendam. Caloris gradus, qui nostra in terra apud hominem vivum et sanum constans repeatitur, circiter 94 ad 96 gr. Thermom. Fahr. est, quem gradum itaque *naturalem hominum temperiem* appello.

Haec temperies necessaria est conditio, ut *vis vitalis* bene vigeat. Imminuta temperie primo *vis vitalis* torpet, tunc om-

ligata sit, in sanguine ipso elastica fieri nequit. Phlogisto vero, in pulmonibus ab aëre respirabili separato, attracta quadam caloris liberi quantitate, in aërem fixum, seu fluidum inexpansibile vertitur. Itaque et hac via continuo multum caloris e corpore eliminatur.

omnino frangitur. Partes gelu rigidae motum et sensum perdunt. Contra cum temperies augeatur; primo vis vitalis, multum intenditur, cor frequenter movetur, sed deinde victa languescit.

Cum itaque vis vitalis vigor absque hac temperie non conservari possit; quaeritur *qua via* natura perpetuo hanc tanti momenti in oeconomia animata temperiem, semper eamdem in hyeme et aestate, terris fervidissimis et gelu rigentibus conservet.

Hoc dupli via adipisci posse videatur, *tam moderando vires calorem generantes* eo gradu, ut perpetuo tantum calor regeneretur, quantum ab aere aliisque contiguis mediis frigidioribus derivatum est, *quam moderatione et directione derivationis caloris generati*, ut scilicet pro copia, qua generatur, etiam maior minorve eius quantitas evacuetur. Natura utramque viam, ad hunc scopum consequendum, impendere videtur.

In speciebus, quibus multum caloris derivatur videmus, vires calorem generan-

rantes magis intendi e. g. in hyeme et climate frigido. Immo febrium, inflammationum, motuum corporis etc. ardores aperte docent, intentionem calorem generantium virium fieri posse.

Sed hac via, scilicet *maiori minorive intentione* et efficacia virium calorem generantium natura scopum omnino non consequi posse videtur. Mediorum temperies, quibus homo circumdatur, admodum varia, calorisque nativi derivatio itaque mox magna, mox parva deprehenditur. Porro experientia doceatur, caloris generationem et incrementum non semper in proportione fieri cum eius derivatione. Saepe calor augetur, quamvis temperiei conservatio illius incremento non indigeat e. g. in febre, a motu corporis, cibo et poto calidis etc. Immo videmus, vires calorem generantes limitatas esse, calorisque iacturam tantum ad certum quandam gradum restituere posse. In rigidiori gelu, cui homo nudus et quietus exponitur, tantum caloris derivatur, ne hanc iacturam vires caloris

C ge-

genetrices reparare possint. Fiunt congelationes. Experimenta, quae hac de re instituit CVLLEN, *) docent, hominem, hac nostra in terra, prorsus nudum et quietum, aëri aperto expositum, calorem suum retinere, cum aëris temperies sit 62 gr. Fahr. scalae. In frigidiori vero aëre temperies sua naturalis diminuitur, viresque caloris genetrices iacturam restituere non possunt.

Hac de re etiam altera via, scilicet *moderamen derivationis caloris* necessarium erat, quo nempe pro maiori minorive caloris generati quantitate, etiam evacuatio illius augeri et imminui et hoc modo temperies naturalis conservari potest.

Corpus humanum, medio quo vivit calidius, continuo suum calorem, secundum leges physicas, medio frigidiori tradit. Hanc caloris derivationem experientia docet et theoria, quae nullam rationem deprehendit, quare corpus humanum ratione huius legis physicae a certis

*) Diff. de frigore in Thes. diff. Edimb. T. IV.
p. 1778.

ris corporibus inanimatis excipi possit. Verum haec physica caloris derivatio in arcta est proportione cum gradu caloris corporis humani, temperie medii, quo vivit et vi illius calorem deferente. Quantitas caloris, hac via evacuanda, huic proportioni arcte adstricta, ultra eam nec augeri nec imminui potest. Cum vero in animalibus vivis quantitas generati caloris mirum in modum variet, ideoque pro hac conditione mox maiori mox minori derivatione caloris indigeant, alias derivationis modus, magis pro rerum conditione moderandus, necessarius videbatur. Hic modus *transpiratio cutanea, vapor pulmonum et sudor erit.* Hac via calor ea quantitate, qua generatur, etiam iterum eliminari, iustaque temperies conservari potest. *)

C 2

Cor-

*) Hoc respectu forsan, cum ad transpirationem vis vitalis cooperetur, animalibus vis frigus producendi conceditur. (Experiments on the power, that animals possess of producing cold by A. CRAWFORD. in phil. Transact. Vol. 71. 1781. P II. 479.) Alio sensu frigus, cum negativum quid sit, a vi generari non potest.

Corpora ea proportione, qua a statu liquiditatis in fluidum elasticum et expansibile abeunt, maiorem capacitatem calorrem suscipiendi et conservandi recipiunt. Itaque humores corporis serosi, ut in vaporem transpirabilem transmutentur, ingentem caloris copiam, quam corpori derrahunt, absorbent. Qua de causa superficies evaporantes refrigerantur. Experimentis invenerunt BLACK et IRWINE*) 800 gr. caloris absoluti, ut fluidum palpabile in vapores mutetur, necessarios esse. Ingens itaque caloris copia hac via e corpore humano eliminatur; cum absque caloris iactura transpiratio fieri nequeat, et tanta caloris copia immutandi serum in vapores requiratur et magna fieri quantitas, ad tres scilicet libras in uuo nycthemero, ut supra vidi mus, e superficie corporis avolet. Qua de causa observamus, in aëre frigidiori, quo physica caloris derivatio multa est, animalem arceri. Supprimitur scilicet tunc temporis transpiratio cutis et pulmonum.

In

*) Cf. GARRINER'S *Untersuchungen über die Natur thierischer Körper.* Leipzig, 1786, pag. 72.

In aëre temperato calor e corpore humano partim secundum physicas leges, partim per naturalem transpirationem ita facile derivatur, ne intentiones virum sentiamus, quibus id peragitur.

Quando vero calor insitus multum increscit, vel ab externa, vel ab interna causa, etiam eadem proportionē transpiratio increscit et hac via, maiorem caloris copiam educendo, temperiem naturalem conservat. Sapientissimum naturae institutum esse videtur, ut incrementum caloris simul incitamentum sit, quo evaporatio augetur. Calor enim auctus stimuli instar agit, vasa ad vividiorem oscillationem impellit, immo per se ad superficiem tendens, raptis secum partibus ferosis, ex illa secedere videtur.

Tandem, cum calor adhuc maiori in gradu augetur; natura ipsum sudorem provocat. In sudore ingens vaporis quantitas perspiratur, cui statim ab aëre pars caloris detrahitur, qua caloris iactura tunc in superficie corporis forma fluidi palpabilis praecipitatur. Sudor denuo de superficie

ficie corporis, ad partem saltem, evapora-
tur et calorem secum rapit. Itaque sudore-
rem tantum in statu quodammodo pae-
ternaturali, quo scilicet calor longe fines
excedit, observamus. Malum quidem
ipse est, sed maius malum avertit. Itaque
sudorem sub dupli conditione, quando
scilicet vel caloris derivatio aggravatur,
e. g. in aëre calido, vel calor nimius a
febre et motu corporis generatur, nasci
videmus. Accumulatus calor molestiam
parit, qua mota natura sudorem provo-
cans ad novam legem superpondium ca-
loris e corpore exterminare studet. Im-
mo, quod maxime memorabile est, hac
via refrigerari possumus in ipso medio,
nobis longe calidiori. Aqua in aestivo
sole, evaporantis aetheris ope, conge-
lascit. Vinum in aestate refrigeratur,
lagena linteaminibus madidis obvoluta,
soli exposita. In quibusdam Indiae regi-
onibus, quibus nunquam thermometrum
ad punctum glaciale descendit, foveae
glaciales artificiales sunt, quae ope eva-
porationis efficiuntur.*) In conclavi, ad

240

*) GARDINER I, c. p. 75.

240 gr. calefacto, quod DOBSON, BLAGDEN et alii subibant, tamen calor nativus non nisi ad gradus quatuor, ob sudorem profusum, augebatur *) ALEXANDRO **) sudorifera varia haurienti, calor nativus ante sudorem ad 113 gr. increaseret, qui vero statim uno momento iterum, cum sudor prorumpebat, ad naturalem temperiem revertebatur. In Pennsylvania olim FRANKLIN***) aëris ardorem centum gr. Fahr., omniaque circa se posita ipso calidiora sustinebat. Attamen hoc in ardore messores opera rustica perficiebant, dum modo sudor manabat. Sin autem cuicunque subito cutis arida fieret; pronus decidit; animamque efflavit.

§. 13.

CONCLUSIO.

Si transpirationi cutaneae evacuacionem caloris superflui concedimus, praecipue

*) RIGBY über d. thier. Waerme. pag. 5.

**) W. ALEXANDER's medicinische Versuche. aus d. Engl. Leipzig. 1773.

***) DE BUTTS dissert. de aëris effectibus. V. Thes. diff. Edinb. Tom. IV. pag. 319.

clarum sane inter finem et medium, quo consequitur, harmoniam stabilitam comprehendimus. Calor enim eo gradu, quo in corpore nimis increscit, transpirationem auget sibique ipsi ad evacuationem portas aperit.

Quo minor est resistentia, eo facilius serum a calore in vapores transmutatur. Itaque in aere calido et levi facilis est sudor.

Materia, quae exspiratur, non finis, sed medium ad finem est. Qua de causa eius indoles ne minimum quidem interest, quae modo ligandi et evacuandi calorem par sit. Nihilominus frugalis natura, scopo primario alium minorem adiungere, simulque aquam superfluam eliminare videtur.

Qua conditione calor auctus, non, qua acrimonia obruimur, multum perspiramus. In calido aere multum, in frigido parum exhalatur. A quiete corporis transpiratio minuitur, a motu sanguinis et muscularum augetur. Homo, corpus exercens quater decies plus quam in

in statu quieto transpiravisse HALLER *) refert. Affectus animi tristes, calorem extinguentes, transpirationem supprimunt, laeti eam promovent. Potus sunt quidam et edulia facile perspirantia, suo stimulo caloris generationem incitantia. Contra melones et alii cibi frigidí eam infringunt. Tertia post pastum hora maior est, qua, digestione finita, maior caloris copia a chylo sanguini apportato generatur. In pueritia et iuventute calida plus, in senectute, qua omnia frigent, minus perspiratur.

Pathologiae et therapiae multum interest, quis verus sit exhalationis cutaneae finis? Morbis rheumaticis et catarrhalibus, si vera est nostra idea, alias tunc originis fons indicandus est. Quis finis est diaphoreticorum? quomodo agunt? Quid sibi volunt sudores critici?

Calorem corporis nimis auctum, sudore suscitato, compescere possumus,

Ita-

*) HALLER, Elem. Phys. Tom. V. p. 69.

D

Itaque sudorifera nonnunquam antiphlogistica sunt.

Multa epithemata externa, cataplasma, fomentationes, lotiones, aquae ophthalmicae etc. calorem educendo agere videntur.

Calore alia via, per aërem frigidum, lineum vestitum, lectum stramineum derivato, sudores nocivos minuere possumus.

Itaque sudorifera nonnunquam antiphlogistica sunt.

Cold air, through a thin cloth or paper, may be applied to the body to remove heat. This is done when the exterior of the body is hot. It is also done when the body is cold. In either case, it is better to use a cloth than a paper. If the cloth is wet, it will cool the body more quickly. If the paper is wet, it will cool the body less quickly. This is because water has a greater specific heat than air. Therefore, when the body is hot, it is better to use a cloth than a paper. When the body is cold, it is better to use a paper than a cloth. This is because air has a smaller specific heat than water. Therefore, when the body is cold, it is better to use a paper than a cloth.


Itaque sudorifera nonnunquam antiphlogistica sunt.

Itaque sudorifera nonnunquam antiphlogistica sunt.

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres



ERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
ANSPIRATIONE
CVTANEA,
LIBRII CALORIS HUMANI
SERVATIONI INSERVIENTE,
VERO ET VNO HVIVS
VNCTIONIS FINE.

Q V A M
SV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
ALMA FRIDERICIANA,

P R O
MIS IN MEDICINA
ATQVE
IRVRGIA HONORIBVS
IM PETRANDIS

FEBRVAR. MDCCXCIII
RVDITORVM EXAMINI
SVBIICIET

HENR. GUILIELMVS ROTH,
POMMERANVS.

HALAE,
IS IO. CHRISTIAN. HENDELII.

(1793)